



Jacobi van der Poll Oratio de praestantia eruditionis: habita in choro Templi Novi ...

<https://hdl.handle.net/1874/235299>

Jac


JACOBI VAN DER POLL
ORATIO,

DE

PRAESTANTIA
ERUDITIONIS,

HABITA IN CHORO TEMPLI NOVI,


A. D. IX APRILIS MDCCXXVII.



F. Horreum sculp.

A. Zeeman inv. et fecit. 1726.

AMSTELÆDAMI,
APUD FREDERICUM HORREUM,
MDCCXXVII.



*Illustres atque Amplissimi Consules, Scholarum gra-
vissimi;*

*Verbi Divini Minister reverende, Scholarum publi-
carum Visitator diligentissime;*

Rector earundem doctissime;

*Corrector & Praeceptores de meis atque aliorum studiis
optime meriti;*

*Artium ac scientiarum, cum sacrarum tum profana-
rum, Doctores eruditissimi;*

*Cives, hospites, cujuscunque ordinis ac loci, quot
quot adestis, spectatissimi;*

*Tu denique Juventus Scholastica, spes Parentum,
spes Patriae, spes Ecclesiae.*

Equidem meae imbecillitatis mihi satis conscius
sum, & probe compertum & exploratum ha-
beo, quam curta supellex sit mihi ad tanti
momenti argumentum, quantum in hac mea oratione

paucissimis verbis amplecti est animus, aptè tractandum; præsertim quum tot sapientium virorum, acutissimo atque acerrimo iudicio præditorum, oculos undique in me intentos esse videam. Ego tamen in vestra, Auditores, humanitate per fugium quærens, ac simul à vobis benevolentissimum atque æquissimum iudicium expetens, quum ætas mea nihil magnum aut elaboratum promittat, provinciam mihi impositam suscipiam, ingenique, quod exiguum in me esse lubens profiteor, periculum faciam, ac argumentum, per se quidem laudabile, sed meo Marte elaboratum, pro mea tenui dicendi copia, in celebri hoc confesso, exponere conabor, quum de vestra in me benignitate, atque benevolentia sim persuasissimus, nullusque dubitem, quin hoc onus à me susceptum vestro favore sublevaturi, & conatus meos promoturi sitis; quod ipsum, qua par est observantia, etiam atque etiam rogo atque peto.

Argumenti vero, quod tractandum sumpsi, ea est præstantia, & ea dignitas, ut certissimum sit, vestrum plerosque libentissime meam hanc orationem audituros propter communia studia & amorem eruditionis summam. Dicturus enim sum de Eruditionis præstantia; in qua re favor virorum eruditissimorum mihi deesse non potest. Eruditionem cum dico, intelligatis velim eam sive facultatem sive institutionem, quam Græci, qui rerum naturam ac proprietatem una cum verbis ex-
 pres

prefferunt, non immerito *παιδείαν* appellarunt, quoniam illos non fugiebat partim institutione partim diligentia ac industria ad summum Eruditionis fastigium perveniri. Unde Poëtae, qui sub fabularum specie multa præcepta nobis ad Eruditionem consequendam utilissima reliquerunt, Musarum sedem in altissimo monte Parnasso, in cujus apicem nemini nisi magno labore ac industria ascendere datur, positam finxerunt. Nec mirum; voluerunt enim viri prudentissimi istis fabularum ambagibus intelligentibus significare, difficilia esse quæ pulchra, nec perveniri ad eruditionem, nisi magna & diuturna contentione.

Atque ut Eruditionis præstantia eo magis elucescat, operæ pretium mihi facturus videor, ejus utilitatem si commemorare paullo latius instituam.

Profecto illa est, illa, inquam, sola, quæ ingenium acuit & perficit. Atque illa, ut ita dicam, menti lucem atque vitam affert. Eruditio enim sola est, quæ sui studiosum semper & ubique felicem reddit. Si dives sit, illa viam ei monstrat, qua possit rectè divitiis uti atque frui. Si vitam in egestate degat, ac res ei angusta domi sit, divitibus tamen omnibus longe fortunatior habendus est, quoniam homo eruditus, quantumvis pauper, sua sorte contentus vivit, quam rem Cicero maximas certissimasque merito divitias dixit, avaro autem insatiabili auri atque argenti cupiditate capto tam deesse quod habet, quam quod non habet, idem iste Cicero rectissimè censuit.

Ea-

Eadem hæc Eruditio eâ est naturâ atque indole, sicut ut possessori a nemine eripi possit. E contrario divitiarum, honores ac pleraque caduca hujus vitæ bona multis perpetuo vicissitudinibus sunt obnoxia, suosque sæpe possessores, quum illi minime rentur, deserunt, aliisque sese adplicant. Testatum hoc facit narratu dignissima apud Tacitum Historia de Ælio Sejano Tiberii Imperatoris favore potentissimo, uno velut casu è summo honoris, quem tetigerat, gradu in extremam ærumnarum abyssum projecto & crudelissime extincto, statuis per universam Urbem ejus honori erectis & Deorum instar adoratis, momento citius fractis, & ludibrio habitis. Præclarum profecto inconstantia humanæ exemplum! plura autem ejus generis adferre non ego tantum possem, sed et quicumque Musas vel a limine tantum salutaverit; verum ea brevitatis causa jam præmitto.

Ceterum Eruditionis præstantia, Auditores, luce meridiana clarius oculis sese nostris ingerit, quum quis in animo secum accuratius perpendit, indocto doctus quid præstet? Stulto intelligens quid intersit? Tantum enim interest, ut ejusdem esse originis doctos atque indoctos vix credibile videretur aut verosimile ignaro originis humanæ.

Animus ut præstat corpori longissimè, ita dotes animi, Eruditio inquam, infinitis partibus meliores sunt corporis quam tumvis validi dotibus.

Non immerito igitur Aristoteles, Philosophorum divi
Co-

Coryphaeus habitus, interrogatus à quodam, qua re differrent docti ab indoctis; qua vivi, inquit, à mortuis, ac cæci à lynceis. Eruditus vero vir res quascunque oculo accuratiore perspicit quam indoctus, quare illi jure quodam cum noctuis ac talpis comparantur. Ac sane non immerito; quum maximam ætatis partem in turpissima mentis, ad omnia caligantis, cæcitate transigant, ac veluti muti in viis Hermæ, aut Tragicæ in scenis personæ, nihil nisi externam decori speciem præ se ferant, neque extremo in angulo, ut ille dicebat, quidquam lateat. Cæcutiunt illi, & quod est miserimum, sese cæcutire non intelligunt, aut ulla lucis, sibi ignotæ, cupidine tenentur. Vere igitur eos Salustius cum brutis comparat pecoribus, quae Natura pro-na atque ventri obedientia finxit, quum è contrario eruditi non solum externis corporis oculis, sed ingenii ac mentis acumine usi, res quasvis longe melius perspiciunt. Quid dicam de rebus coelestibus & cognitione Dei? Nonne Theologia mentis nostræ oculis (ut ita dicam) Deum, ejusque perfectissimas virtutes sistit, nostramque mentem rerum coelestium meditatione fovet ac recreat? Considerate Jurisprudentiam, istam excellentissimam scientiam, humanæ societati tam utilem, ac magno in honore positam apud omnes bene moratos populos, cujus cognitione judices imbuti verum a falso, justum ab injusto, æquum ab iniquo discernentes æquum cuivis jus dicunt. Perlustrate Medi-

cinam

cinam, utilissimam illam atque eximiam scientiam: quantam ea, si omnes ejus partes inspiciamus, nobis admirationem affert! Nonne Physica nobis ansam præbet ad naturalium rerum causas cognoscendum, atque de iis recte judicandum? Nonne Matheseos ope summa cum admiratione mirandum ac ordine distributum Solis, Lunæ, ac Siderum cursum, una cum omnibus ipsorum phænomenis contemplantur?

Ceterum, dictis ut meis majorem vim atque robur majus conciliem, ad sacrosancta vos, Auditores Optimi, Divinæ Scripturæ oracula ablego. Philosophorum etiam & scientiæ olim laude celebratissimorum scripta honore suo privanda non sunt, meæque inde sententiæ testimonia fide dignissima repeto; nullusque dubito, quin unusquisque, modo monumenta tam sacra quam profana inspiciat, veritatem dictorum per se intellecturus sit.

Hinc discimus, quanti habenda sit Eruditio. Inde observamus illustres atque præstantes viros, qui quam maximè eam a Deo petiverunt, eamque cupiverunt maximè, quique omnem, ut ad summum Eruditionis fastigium pervenirent, laborem adhibuerunt. Non memorabo plurimos, qui quondam eruditionis laude floruerunt, viros egregios, quorum fama adhuc recens decus perpetuum conciliavit eorum nominibus. Magna cum laude tam præclara nomina volitant, ut Ennius ille dicebat, per ora virum. Hebræos, Græcos, Romanos, alia-

aliarumque gentium viros eruditissimos, tacitus praetereo. Dies me in laudis tantorum nominum celebratione deficeret.

Vos autem, Auditores, per vos satis intelligitis, quos velim, ut unum aut alterum, ex Hebraeis Salomonem, è Græcis Socratem, è Romanis Catonem aliquem, ex aliis gentibus alios, nominare necesse non sit. Pergam potius oratione mea ostendere, quantum utilitatis Eruditio adferat homini unicuique in hac vita, ut palam fiat, illos qui illam negligunt, aut non quærunt, eximios vitæ fructus nunquam gustare, neque qui sint scire.

Literas Cicero dicebat oblectationem magnam adferre homini cuicumque, idque est adeo verum, ut nulla sit ætas, nullum vitæ genus, quin ex literis capiat utilitatem summam; adolescentes, senes, divites, pauperes, omnes ingentem capiant utilitatem ex Eruditione.

Scilicet omnium rerum ignari adolescentes carent diu istis literis, quibus discunt homines discernere quid in vita sit utile, quid sit sequendum, quid fugiendum. Verum à falso discernere per se non possunt, & callidorum hominum sermones speciosi facile illis possunt imponere; verum si accedat Eruditio, vix credibile est quantum luminis ipsorum mentibus oboriatur. Ipsi per se falsum à vero, solidum ab inani, certum ab incerto secernere atque distinguere

guere noverunt. Tunc facile perspiciunt à præceptoribus atque parentibus, qui illos ad Eruditionem erant adhortati, sibi viam esse ostensam ad veram felicitatem.

Cimmerios ad æternas tenebras damnatos vitam degere ingrati antiquitas fabulosa prodidit; verum illos, quorum mentibus per literas lux non accessit, Cimmeriis istis esse simillimos facile liquet. Quis scientiis non excultus virtutis præstantiam, vitiorum turpitudinem intelliget, quum non raro in vita contingat ut vitia prima specie incauto homini adblandiantur, virtus autem videatur horrida atque aspera. Verum ubi pectus probe est instructum præceptis utilissimæ Eruditionis, vera rerum facies sese nobis pandit atque aperit. Exitus virtutis atque vitiorum esse longe diversos patet ex monumentis literarum, unde Eruditi, quod in usum vitæ est, promunt. Qui autem virtutis præstantiam, & vitiorum turpitudinem non per se didicerit, sed admonitione aliorum, aut benignæ naturæ ductu, is vitia non potest adeo odifese, nec virtutem adeo amare, atque is qui literis est præditus; nisi cæcus, qui ductore indiget, dicendus sit melius novisse, qua sit eundem quam oculatissimus quisque. Dubium igitur non est, quin Eruditio sit adolescenti non tantum utilissima sed plane necessaria. Quod si tamen adhuc de ea re dubitaretur, nec mihi ratio temporis esset habenda, oratio mihi

non

non deesset ad locum hunc pluribus illustrandum. In reliqua vero vita quid Eruditione sit utilius aut magis appetendum non facile quis dixerit. Quot res adversæ, quot calamitates, quot molestiæ non sunt perferendæ in hac vita vel optimo cuique. Hinc improborum hominum odium premit optimum quemque, inde præter expectationem mala emergunt, capitique uniuscujusque imminet; hinc animi, qui corporis morbis longe sunt nocentiores, morbi multi oriuntur, dum innocentis hominis dicta ac facta inique carpuntur. Verum qui pectus Eruditione excultum & veris sapientiæ atque prudentiæ bonis bene instructum habent, eos nulla adversa de animi statu recto possunt dejicere. Illi noverunt felicitatem veram in opinione alterius sitam non esse, sed in unius virtutis possessione, & propterea, quamvis interdum rumusculos aliorum de se sparsos perferre sit molestum, præsidium tamen ingens habent in Eruditione, atque ex literarum monumentis docti sunt sua culpa non factum esse, quod quidam viri probi multa à perversâ aliorum malitiâ sint passi, & fore ut veritas oppressa radios longe lateque exferat suos, quoniam illa in perpetuum opprimi nullo modo potest. Quid autem seni erudito præstet plane non video. Usus rerum in senibus est multus, quia in vitæ diuturnæ cursu experiundo multa didicerunt, illis si Eruditio accedat, tum vero existit magnum illud atque eximium, quod homines omnium ad-

miratione dignos facit. Calor iste juvenilis in illis de-
 ferbuit. Vitia multa, adolescentum propria, exuerunt
 senes; & sedato animo res quasvis exigunt ad maturi
 iudicii examen accuratissimum, quod, cum suffultum
 est Eruditione, singulare plane atque eximium est.
 Porro multa quæ in juventute nobis optanda atque ex-
 petenda multis nominibus videbantur, senibus longe a-
 lia facie sese sistunt atque exhibent. Illi quid res quæ-
 que valeant, non ex opinione hominum, sed re ipsa
 intelligunt optime, atque in erudito pectore negotia
 humana ad examen revocant. Quid illorum hominum
 felicitatem superat! quid prudenti seni par aut simile re-
 peritur! aut è contrario, ubi prudentia, quæ sine eru-
 ditione manca est atque debilis, seni deest, quid mo-
 lestius reperiatur, nemo satis certo affirmare poterit.
 Quod si vero pergam oratione ostendere, quantum u-
 tilitatis in quodvis genus hominum redundet ex Erudi-
 ditione, oratio mea vix exitum est repertura. Divitiis
 enim si quis abundet, nec tamen literis sit eruditus,
 haud dissimilis erit asello gestanti signum alicujus Dei,
 ut in fabulis est, cui populus honorem cum exhiberet,
 asellus gaudebat, ratus sibi istum honorem haberi, sed
 postridie, quum signum Dei non amplius gestaret, do-
 minus illum probe fustibus dedolabat, quod sarcinas
 ferre recusaret memor honoris pridie habiti. Miraba-
 tur sane asellus, nec mutationis causam capiebat, aut
 quid accidisset intelligebat! ita credo miraturos stoli-
 dos

dos istos divites, si divitiæ sibi essent ablatae, neminem illos ullo honore dignos putare.

Equidem non ignoro plerosque sequi divitias, eruditione relicta; sed æque notum est mihi plus mali quam boni esse in divitiis, nisi Eruditio accedat. Cogitate divitem aliquem indulgentem tempestivis epulis, comotationibus, & voluptatibus aliis, nonne multa sibi incommoda ultro arcesset? nonne crapula aut stomachus crudus perpetuam illi molestiam & morbos perpetuos creabunt? at si intelligat verum divitiarum usum, & mens literis sit instructa, vitabit quod exitu ipso noverit jam olim aliis multis fuisse calamitosum. E contrario vero, si quis sit pauper, neque aut aliorum favore aut amicis nitatur, si eruditus sit, dicendus est plane miser non esse. Namque aut per literas jam didicit ferre patienter quod necessario est ferendum, aut eadem istæ literæ ipsi emergendi atque eluctandi rationem ostendent.

Plena sunt Historiarum monumenta divitum infelicitium pauperumque felicitium. Quid quod ipsa paupertas dicatur bonæ mentis comes assidua, atque artes multas excitavisse? Illa excitat ingenium, & illa ad audendum facinora egregia optimum quemque hortatur. Optime igitur dixerunt Stoici neque in divitiis bonum, neque in paupertate malum esse, sed in ignorantia. Quum vero omnium hominum officium, quatenus sunt cives, aut membra societatis civilis, consistit in paren-

do, & obediendo, aut in iubendo, & imperando, quis non videt singulos officio suo fungi recte non posse, nisi literis sint ornati.

Video non defore, qui objicient mihi, quamvis prudentia atque Eruditio in magistratu requirantur, neque id negari possit, in civibus tamen ad recte obediendum Eruditione opus non esse, quum illi qui paret necesse sit tantummodo parere, non anxie disquirere, an sibi recte imperetur. His ita responsum velim, omnium hominum eandem rationem non esse, quosdam obedire, quod utrum possint non obedire ignorant, quosdam vero ex adverso vel ideo non libenter obedire, quod ignorent causas, propter quas sit obediendum: cives vero literis exculti, & qui non ignorant boni civis officium, parebunt propterea quod omnium optime necessitatem parendi intelligunt, quoniam obedientia sublata omnem rempublicam necessario ruituram esse, & se ipsos in publica calamitate calamitatem effugere nullo modo posse, certo prospiciunt.

Aliorum vero omnium quorumcunque hominum eadem plane est ratio, nec quis adeo cæcus est, quin è dictis videat unicuique, cujuscunque conditionis, ordinis, ac loci sit, opus esse Eruditione, ut semper & ubique felix possit esse, atque sua sorte contentus, præ divitiis minime superbus, paupertate non abjectus, honore ac dignitate præditus, atque aliis præpositus non crudelis neque molestus, sed

sed mansuetus ac justus, civis fidelis ac officiosus. Eruditione enim duce, sapientia comite, erimus semper, & ex omni parte, beati.

Agitedum, igitur, commilitones in pulcherrima hac ætate, & vitæ vere, nervos intendamus, ut optatum assequamur propositum, nihil negligentes, quod nobis ad hoc perficiendum utile esse possit, atque ita nulli studio ac labori parcentes, nostro fungamur officio, & sine dubio literis instructi, atque eruditi, postea, pro nascendi sorte cujuscunque, ac voluntate Divina, Reipublicæ ac Ecclesiæ utiles erimus.

D I X I.

